

Quarta species est admiranda quies Filij Dei in passione, de qua Paulus inquit: „Exinaniuit se factus Patri obediens vsque ad mortem crucis.“³⁶ Et Irenaeus lib. 3 dulcissime inquit: „Sicut homo erat, vt tentaretur, sic et Verbum erat, vt glorificaretur requiescente quidem Verbo, vt poßet tentari, crucifigi et mori.“³⁷

Quinta species est sabbatum aeternum, quod promittitur ecclesiae resuscitatae ex morte, vt Esaiae vltimo: „Erit sabbatum ex sabato“³⁸ videlicet cum Deus erit omnia in omnibus.³⁹

Quid significat verbum „sanctificare“?

Sanctum propriissime loquendo tribuitur Deo et rebus diuinis. Opponitur enim ei, quod pro-[19:]phanum est, ideo saepe significat aliquid dicatum Deo seu vsibus diuinis. Ita „sanctificare“ vsurpatur de actionibus, quibus Deus se nobis communicat et quibus nos vicissim ornamus gloriam Dei. Est igitur sanctificare sabbatum idem quod Deo et rebus diuinis destinare, quod fit docendo et discendo verbum Dei et exercendis officijs, quibus ornatur et propagatur ministerium euangelij.

³⁶ Phil 2,8.

³⁷ Irenäus von Lyon, Adversus haereses III, 19, 3, in: PG 7, 941 (FC 8/3, 240). Vgl. hierzu auch die Aufnahme dieses Zitats in Philipp Melanchthon, Loci praecipui theologici (1559), in: CR 21, 626 (MWA 2/1, 198, 18–29).

³⁸ Jes 66,23.

³⁹ Vgl. I Kor 15,28.